DE
RE METRICA AUSONII.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

THEOBALDUS RAEHSE

CANDIDATUS PHILOLOGIAE
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

BEROLINI TYPIS EXPRESSERUNT URBAT & SOC.

MDCCCLXVIII.

Quamquam D. Magnus Ausonius in numero praestantiorum poetarum latinorum haberi omnino non potest, tamen cum in ejus carminibus multae aliae res insint quae accuratius tractentur dignae, tum rem metricam in quaestionem vocare non alienum esse arbitror vel ideo ut cognoscatur, quatenus Ausonius ab usu optimorum poetarum recesserit. De ea explicare mihi proposui. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediar, quae ad codices editionesque pertinent pauca praemittere mihi liceat.

De codicum vetustate, auctoritate, ratione inter singulos intercedente uberius, quod sciam, quia nusquam adhuc disputatum est (nam satis parca sunt quae extant apud G. Haenelium catal. libr. manuscr. Lips. 1830 et Boeckingium Jahrb. d. Vereins v. Alterth. im Rheinlande Bonn 1845), veniam me nihil fere amplius quam mera nomina undique collecta afferentem impetraturum esse confido. Id unum mihi non dubium est, quin nonnulli codices librariis aliis aliter peccantibus correctoribusque aliis alia tentantibus graviter depravati sint. Nam ut testimonia Jul. Aem. Ferrarii in praef. edit. Mediol. 1490 aliorum omittam, Scaliger quidem non uno loco lectionum Ausonianarum et in epistola quadam ad Vinetum data ann. 1573 poemata correctorum audacia et contactu contaminata et Vinetus ipse in praef. comment. in Aus. cuncta ejus scripta valde corrupta esse queruntur.

Agmen ducit codex Sangallensis num. 899 (in Trossii editione Mosellae praef. p. 9 errore typographico num. 809) membran. ab initio mutilus, cujus Bernhardius una cum Florentino pl. 33 num. 19 mentionem facit hist. litt. rom. edit. 4. p. 634, quo Boeckingius in Mosellae editione et Trossius in posteriore certe carminis parte usi sunt, ab Haenelio col. 715 ad annum 867 relatus. Recentiorem autem eum esse Boekkingius censet illo anno apographum, ex quo descriptum Sangallense exemplum, exaratum fuisse suspicans. Adde codices Rhenaugiensem 72 A saec. 12, Bruxellensem 5370 de la bibliothèque de Bourgogne membran. fortasse saec. 11, quos idem vir doctus inspexit, codicem bibliothecae Scorialensis plut. 3 arm. S. num. 25 saec. 15; in fronte haec leguntur: D. D. A. Romae die Iu. a. 1625 cf. Haenel. col. 938. Ab eodem col. 1002 cod. 146 bibl. Valentinae membran. et col. 527 cod. chartac. Basileensis F. 9. 52. varias phrases et sententias Ausonianas continens afferuntur. Nec vero negligendus est codex Lugdunensis saec. 16 a Stephano Charpino sacerdote in perantiqui insulae Barbarae coenobii bibliotheca repertus, quem praeter alios libros manuscriptos Scaliger et Vinetus industrie perscrutati sunt. Jam prodeant in medium codices Vossiani, codex Engolismensis Tilii, quem eundem esse et alterum Vossianum Tollius ad epigr. 8, 3 conjicit, porro Cornelii Gualtheri liber antiquus, in quo Mosella, Gemblacensis liber, qui idem poema, de duodecim Caesaribus carmina, idyll. 19 de aerumnis Herculis praebet, a Pulmanno et Boeckingio adhibiti, codex Tristani Chalci a Thadaeo Ugoleto ed. Parmens. 1499 ludum septem sapientium et catalogum nobilium urbium corrigendi causa consultus, Bernerianum exemplum, ex quo idem periocham Homericam eruit. Ad Parisinum codicem provocat Vinetus apud Tollium epigr. 88, 1

alibi et epigr. 69, 7 ad Parisiense Jodoci Badii exemplar. Sed hoc exemplar sine dubio editio est Parisina 1517 a Mich. Humelbergio emendata apud Jod. Bad. Ascensium. Eadem fortasse ratio est quem Vinetum afferentem Tollius ad idyll. 17, 16 facit, codicis Mariangeli Ausonium Romae 1524 edentis. Ceterum duos codices Parisinos 7927, 7936 commemoratos videmus a C. Schenkelio Zeitschr. für oestr. Gymn. 1864 p. 574 sq. Utrum hi duo tantum necne in bibl. regia Paris. asserventur ignoro; in Parisinis vero Mosellam non legi confirmat Boeckingius. Idem praedicat de codicibus Leidensibus et Vaticanis. Trossius praeterea ed. Mos. praef. p. 10 codicis Vindobonensis saec. 16 mentionem facit. Non a vetere manuscripto, sed ab editione Ugoleti originem eum traxisse arbitratur. Restat ut pauca addam de codice 281 bibl. Palatinae Vindobonensis saec. 12, quo heptastichorum septem sapientium primum hexametris decurrens Ausonii nomine omisso f. 42 contineri Schenkelius l. l. testatur, sed ita ut, id quod in editionibus fit, septem versus non uni Biae Prieneo, sed singuli hexametri hujus heptastichi singulis sapientibus, primus Biae etc. tribuantur. Quare ab Ausonio septenis carminibus septem sapientium sententias ita illustratas esse, ut quodvis carmen septenis versibus septem sapientium sententias exprimeret, Endlicherus existimat, qui illum codicem descripsit catal. eod. phil. lat. bibl. Palat. Vindob. p. 165 sq. In eodem codice f. 142 a Schenkelio auctore idyll. 16, quod est de viro bono, reperitur. In medio ponit vir doctus a textu Scaligeriano et Tolliano alienas lectiones, quarum pars cum scriptura cod. Sang. 899 Paris. 7927, 7936, Thuanei congruit. Unam ceterum v. 4 „vanique levis quid“ Vinetus jam conjectura assecutus est. Atque haec quidem hactenus de codicibus.

Editionum tantus numerus est, ut gravissimas indicasse mihi sufficiat. Omnes si quis cognoscere velit, adeat ad Fabricium Bibl. lat. ed. Ernesti III editionem Bipontinam, Suchaeum, Boeckingium. Princeps editio Veneta 1472 prodiit sine nomine typographi curante Barth. Girardino, altera ibidem 1474 apud Jo. Tacuinum de Tridino. Secuta est Mediolanensis 1490, cui praefuit Jul. Aem. Ferrarius. Multum operae dedit Ausonio in editione Parmensi 1499 Thad. Ugoletus, a quo primum Mosella ex uno eodemque vitioso codice ultimo tantum versu mancus in lucem datus est. Prima Ascensiana Lut. Paris. 1511, in cujus titulo Ausonius falso medicus vocatur, a Boeckingio solo commemoratur; tertia 1517 a Mich. Humelbergio emendata apud Jod. Badium ultimum Mosellae versum exhibet. Multo auctior prodiit ed. Tornaesiana Lugdun. 1558 quae in codice a Charpino reperto extabant additis. Exemplum ad rem criticam nitidum editio est Theod. Pulmanni, qui Ausonii opera in meliorem ordinem restituit, correxit, scholiis illustravit Antverp. 1568 ex offic. Christoph. Plantini. Plurimum autem profuerunt poetae El. Vinetus et Jos. Scaliger, viri doctrina et ingenio aeque excellentes. Ille cum codicibus inter se collatis jam 1551 Lutetiae Parisiorum editionem adornavisset curante amico Jac. Gupylo Pictone, 1575 Burdigalae in offic. Sim. Millangii codice Charpini adjutus denuo Ausonium in lucem protulit omissis tamen, quia typographum charta defecit, commentariis, qui 1580 ibidem vulgabantur. Repetita haec editio est Burdig. 1590, 1598, 1604 una cum Jos. Scaligeri lectionum Ausonianarum libris duobus, quorum in fine vita poetae narratur. Illis 1573 ad Vinetum missis Scaliger ipse Ausonium a se recensitum cum lectionibus suis a Seb. Gryphio edendum curavit Lugd. 1575, quae editio identidem prodiit, velut

Heidelb. 1588 apud Commelinum, eodem anno et 1608 Genev. typ. Jac. Stoer alibi adjectis Vineti aliorum selectis notis. Mediocris fructus ad Ausonium et emendandum et explicandum redundavit ex editione Jac. Tollii Amstel. 1669 apud Jo. Blaeu et 1671 ibidem cum variorum notis suisque animadversionibus. Multis annis post Jo. Bapt. Suchaeus inchoatam in usum Delphini a Juliano Florido editionem perfecit Paris. 1730 typ. Jac. Guerin, quam secuta est 1785 ed. Bipontina. Mosella Heidelb. typ. Voegelini 1619 a M. Frehero illustratus curante L. Trossio Hamm. 1821 emendatior prodiit, emendatissimus emissus est ab Ed. Boeckingio codicibus et antiquis editionibus uso Berol. 1828. Bonn. 1842. Jahrbücher d. Vereins v. Alterth. im Rheinlande Bonn 1845.

Sed quamvis bene editores de Ausonio meriti sint, tamen Mosella excepto contextui permultae adhaerent maculae, quae fortasse eluentur arte critica modice ac sapienter exercita, quae posita est in codicibus diligenter excussis ac poetarum carminibus accurate perlustratis Ausonio ob oculos versatorum, potissimum Virgilii. Equidem usus sum editione Tolliana 1671 eamque secutus in carminibus et versibus numerandis; sed cum in eam non semel lectiones parum probabiles temere receptae sint, ubique editionem Scaligeri typ. Jac. Stoer 1608 comparavi, ad ejus lectiones Ausonianas spectavi, interdum etiam aliorum emendationes attuli. Boeckingii quoque editio Berol. 1828 in manibus meis fuit.

Verum ut ad rem ipsam transeam, haec postulat, ut duas constituamus partes: unam quae pertinet ad syncopam, elisionem, hiatum, apocopam, synizesim, diaeresim, contractionem, tmesim, quantitatem syllabarum, allitterationem, ictus mutationem. Altera singula metra complectitur.

Ac syncopam quidem raro adhibuit Ausonius. Nam ut

omittam tritissimas formas epigr. 26, 3 saecli, eclog. de rat. puerp. mat. 42 vincla, haec habes exempla: par. 4, 26 ocle, quod emendavit Scaliger; „oclervo“ praebet vetus liber, pro quo corrector Lugdunensis substituit „extincto“. Tollius „atque uno“, Lipsius „ac laevo“, Barthius „ac dextro“; „oclus“ etiam apud Prud. peristeph. 10, 592; techn. de hist. 4 nubs; sic Livius Andronicus Servio auctore ad Virg. A. 10, 636; nob. urb. 3, 6 repostis imitatione Virg. A. 6, 655. 12, 26. Ge. 3, 527. cf. Hor. epod. 9, 1; epist. 8, 5 imposta cf. Lucr. 5, 543. Virg. A. 9, 716 Val. Fl. 4. 186 Stat. Th. 1, 227. sept. sap. Lud. 1 scripse. 6 dixe, cujusmodi formae crebro leguntur.

Nec vero solum in mediis vocibus vocales oppressit, sed etiam in fine saepe detraxit elisione eamque ita frequentavit, ut explodenda esse optimo jure mihi videatur sententia Ed. Woelfflini in ea tractatione, quam de carmine panegyrico in Calpurnium scripsit Philol. XVII. 2. 1860 p. 341 sq. apud Ausonium in senos septenosve versus unam tantum cadere elisionem dicentis: id quod a vero abhorrere unusquisque illius carmina attente perscrutans facile mihi largiatur. Etenim ne commemorem permagnam multitudinem eorum versuum, quibus semel tantum elisio usurpatur, saepissime duae uno eodemque versu mihi occurrerunt: epigr. 8, 1. 2. 14, 3, 18, 4. 45, 1. rhetoris haec Rufi statua est. Nil verius, ipsa est. Ipsa adeo. Sic Tollius. At „ipsa est“ otiosa repetitio esset enuntiati primi. Scaliger „nil verius, ipsa, Ipsa adeo“. Gravissima autem redditur sententia Gronovii scriptura „ipse, Ipse adeo“. Falso autem explicat: haec statua ipse Rufus est, necenim linguam habet ac cerebrum uti Refus. Ausonium anadiplosi quae vocatur usum esse cavillationi Rufi majorem

vim additurum existimo. Ceterum „ipse“ sane adjecto „es“ exhibent Vossiani. 47, 1. 50, 3. 75, 9. 77, 1. 81, 2. 86, 1. 115, 3. 122, 1. 125, 2. 129, 2. 3. 130, 3. 139, 3. 6. 141, 3. 142, 2. 143, 3. ephem. or. 8. 66. par. 3, 1. 14, 10. 16, 6. 18, 4. 19, 7. 22, 11. 29, 6. 30, 6. prof. 19, 8. 20, 7. 24, 13. ep. her. 7, 4. 8, 6. 34, 3. Caes. tetrast. 21, 3. nob. urb. 6, 8. 14, 9. 36. sept. sap. prol. 11 Sol. 8 ex emend. Scal. 28. 34. 45. 57. Thal. 20 qualem Scaliger legit, 21. 27. Pitt. 7. idyll. 2, 45. 3, 23. 5, 9. 6, 38. 82. 10, 128. 354. 11, 38. tech. de hist. 13, 14. eclog. de sign. coel. 5. Hoc poematium a Scaligero spurium judicatur. epist. 1, 6. 13. 8, 3. 14, 5. 15, 31. 16, 20. 38. 58. 103. 20, 5. 21, 15. 23, 12. 24, 72. Quin etiam tres reperiuntur uno eodemque versu elisiones epigr. 34, 8. Scal. versum terminari vult „mea est“—, Tollius „mihi est.“ v. 11. 91, 1. par. 12, 8. prof. 16, 6. sept. sap. Sol. 4. liber Lugd. una syllaba deficiente „neque me esse primum, verum unum existimo, „Scal. „vestrum aut imum existimo“; Vinet. „neque esse me primum, verum unum existimo“ eclog. de sign. coel. 4. epist. 24, 128. Quidquod quattuor extant idyll. 3, 10 „parva unquam aequanimis, adde etiam unanimis.“ ephem. or. 52 „si scelere abstineo errori ipse obnoxius et si.“ Sic Scal. Tollius hiatum admittens „ipse“ expunxit. Mariang. Accurs. „errorique“. Sine dubio versus corruptus est; mendum in „errore“ latere suspicor.

Satis dura est elisio in ultimo pede versus prof. 4, 21. 22 „in senio quoque ut Aquilae senectus aut equi.“ Forsitan „in senio velut“ scribendum est. Techn. de litt. 3 in fine „Latiare E.“ Aliquot denique locis elisio in termino versus efficitur verbo „est“ epigr. 14, 3. 34, 8. 44, 1.

46, 2. 77, 3. 128, 7. ephem. parec. 10. par. 23, 19. prof. 2, 28. Caes. tetrast. 7, 3. idyll. 4, 6. 17, 7. 18, 8. epist. 2, 11. 24, 58. Quid si „rapina st" etc. scriberetur?

Attamen elisionem non semel neglectam videmus: praef. ad Syagr. 39 „hic ego Ausonius". Hiatus evanescet, si verbis sic transpositis „Ausonius ego hic" etiam ab Ausonio usum illum observatum esse putaverimus, ex quo plerosque poetarum posteriorum h pro consona adhibuisse L. Mueller de re metr. poet. lat. p. 305 docet Quod autem syllaba finalis in „Ausonius" producitur, offendere nequit, cum eadem licentia prof. 20, 6 occurrat. Haec doctrina viam alius loci sanandi monstrat, qui exstat par. 26, 7 „ergo commemorata ave". Corrigendum esse „have" conjicio. Ceterum ab illo more Mueller p. 248 causam productionis syllabae „de" vocis „dehinc" repetit prof. 24, 6. Hiatus porro adhibetur sept. sap. Lud. 14 „Periandri est Corinthii." An putamus syllabis „Peri" jambum effici? v. 15 „meditationem esse totum qui putat." Sic Scaliger hiatu caesura semiquinaria lenito; Tollius „esse meditationem". Pitt. 5 „romana sic est vox: veni in tempore". Tollius „venito" vel „venite" legi vult. Non displicet hiatus eclog. de rat. dier. ann. vert. 3 „Phrixeo ab ariete", quoniam longa vocalis brevi excipitur.

Apocopam adhibuit poeta noster Ennii imitatione techn. grammaticom. 3. 16. 18 in vocibus „gau, cael, do," pro quibus „gaudium, caelum, domum" exspectantur. Ennianum illud „endo suam do" Diomedes quoque 2 p. 436 affert. Age nunc consideremus synizesim. Ne commemorem dein sept. sap. Sol. 29 deinde epigr. 108, 7. ep. her. 28, 1. epist. 23, 25. deesse ephem. carm. postrem. 27, dehinc Caes. tetrast. 3, 3. in unam syllabam coeunt: suas sept. sap. prol. 29 cf. Lucr. 1, 1022. 5, 420. rei Per. 4 prout idyll. 10, 372.

cf. Hor. sat. 2, 6, 67; per duas loquenda sunt: aurea ephem. carm. postr. 19. cf. aureo Ov. her. 6, 49. Virg. A. 8, 372. aureis Virg. A. 1, 726. 5, 352. alveum nob. urb. 14, 17 alveo idyll. 10, 83. 142. 454. item Virg. A. 6, 412. 7, 33. Ge. 2, 453. Tib. 2, 1, 49. omnia idyll. 16, 24. idem vocabulum apud Virgilium, quem studiosissime imitatur Ausonius, bisyllabum A. 6, 33 omnium idyll. 2, 49. balteo idyll 19, 6. proinde prof. 10, 47. cf. Lucr. 3, 1053. 4, 657 alibi Ter. Heaut. 1, 1, 13. Virg. A. 11, 383. Jam synecphonesis reperitur in his vocibus: duodeviginti par. 24, 16. puerities prof. 10, 17. Periander de iisd. sept. sap. e graeco 4. ariete eclog. de rat. dier. ann. vert. 3 cf. Virg. A. 2, 492. 7, 175. 12, 706. parietibus idyll. 11, 44. cf. Virg. A. 5, 589. Superest pronomen cui, quod ut alibi saepissime his locis Ausonianis unam syllabam efficit epigr. 12, 10. 113, 1. ephem. or. 14. par. 2, 3. prof. 17, 4. ep. her. 2, 1. nob. urb. 9, 3. 10, 3. idyll 1, 6. 4, 43. 10, 80. eclog. de rat. libr. 16 epist. 21, 33. Sed bisyllabum praef. ad Drepan. 6. idyll. 10, 312. sic Scaliger pro „cujus“ prima producta. Secutus eum est Boeckingius pristinam suam conjecturam „quoji“ spernens. Tollius „cuji“ legi vult. Multo autem rarius synizesi adhibuit Ausonius diaeresim: Suevos epigr. 3, 7. Suevis 4, 3. idyll. 8, 29. Suevae idyll 7, 2. Suessae epist. 15, 9, quod Scaliger restituit.

A synecphonesi discernenda est contractio. Omissis formis etiam in pedestri oratione usitatis liceat mihi haec afferre exempla: Aeneadum epigr. 33, 2. eclog. dist. de mens. 7. Caes. monost. 6 tetrast. 6, 1. cf. Virg. A. 1, 569. Cecropidum epist. 24, 55. cf. Ov. Met. 7, 502. Latoidum ep. her. 27, 2. Hesperidum idyll. 19, 11. Aonidum epist. 23, 35. Romulidum techn. de cib. 6. Aeolidum techn. de monos.

gr. ac lat. 3. Porro Danaum ep. her. 12, 2. cf. Prop. 2, 26, 38. 3, 8, 31. Grajum per. Iliad. 2, 5. cf. Enn. a. 149. Lucr. 2, 600. 5, 405. Adde feminum epist. 4, 45. alii hic „femorum", quod sententiarum nexui magis conveniens praetulerim; caelicolum eclog. de lustr. ag. 2. techn. de diis 1 cf. Virg. A. 3, 21. Denique adjectivum geminum idyll. 1, 25.

Nec vero tmesis indigna est quae commemoretur, qua usus antiquiores poetas ad imitandum sibi proposuit Ausonius, Ennium (saxo cere minuit brum), Lucilium (illuvies, scabies oculos huic deque petigo Conscendere) Lucretium (disjectis disque sipatis; conjunctis conque jugatis). Ad hibuit autem bis Caes. de mort. 6: „matrique cida Nero", quod edidit Scaliger; alii libri scripti „matricida" exhibent. Tum syllaba „tri", ut metro satis fiat, longa usurpatur ut apud Sidon 5, 290. Et imitatione Lucilii, ut ait ipse, epist. 5, 34 „villa Lucani mox potieris aco."

Venio nunc ad quantitatem syllabarum id est ad eam partem, quae copiosissimam praebet materiam contemplandi, cum in ea re elegantiorum poetarum more saepe neglecto multas sibi sumserit licentias. Quam autem libidinose fecerit, ex eo quod parum sibi constans, ut cujusque versus numeri postulabant, eandem syllabam ejusdem vocis nunc corripuit nunc produxit, clare cognosci potest: cujus rei exempla infra proferam. Ac primum quidem corripuit et in fine et in mediis vocabulis syllabas longas. In termino verborum comprobatur hisce: contra praef. ad Theod. 16, quae praepositio, quia re ipsa ablativus est, longa esse solet, item Prud. peri steph. 5, 145. nonaginta eclog. de rat. dier. ann. vert. 1. 16. prosa, versu ultima breviata legimus ex emend. Scal. prof. 21, 14. Valde quidem offendit, sed exemplo non caret;

eandem enim licentiam auctor carminis in genesim 44 sibi vindicavit „Adamus donata sibi prudentia sollers", quod vitium apud Tertullianum et Arnobium inveniri Vossius de art. gramm. II, 39 testatur. Ab his etiam quartae declinationis ablativum idem commemorat corripi cf. Mueller. p. 341. In primis vero correptio cadit in vocalem o: origo praef. ad Syagr. 8 prof. 16, 8. 17, 16. cognatio praef. ad Syagr. 9. prof. praef. 1. leo epigr. 6, 1. idyll. 11, 40. cf. Mart. 2, 75, 1. 9, 71, 1. alibi occasio epigr. 12, 3. ultio 34, 11. idyll 6, 66 cf. Juv. 13, 2. 191. virgo epigr. 69, 14. 101, 2. 102, 2. 103, 2. cf. Claud. in Ruf. 2, 420. de rapt. Pros. 2, 20. subulo epigr. 70, 8. histrio 84, 2. nemo 112, 1. cf. Juv. 2, 46. 6, 17. 8, 127. Mart. 1, 40, 2. 10, 27, 4. homo epigr. 114, 1 cf. Juv. 10, 350. miseratio epigr. 129, 5. cogitatio ephem. parecb. 20. optio carm. postr. 17. vertigo par. 22, 13. divisio 23, 19. religio prof. praef. 2. sermo 20, 11. idyll 17, 2. cf. Juv. 6, 193. lectio prof. 22, 15. laudatio prof. cor. 5. ordo ep. her. 7, 5. idyll. 3, 6. imago ep. her. 27, 10. factio Caes. tetrast. 1, 4. adoptio 13, 3. conjuratio idyll. 2, 21. formido 4, 28. cf. Claud. in Eutrop. 2, 198. distinctio idyll. 4, 49. consuetudo 81. mutatio 8, 48. ex „mutatia" a Vineto repositum; praedo idyll. 10, 282. oblectatio 348. minutio 11, 65. contentio 17, 7 dissensio 9 admiratio epist. 9, 20. invitatio 43. meditatio 14, 17. objurgatio 23, 3. suspectio 24, 8. sic Scaliger pro Vineti et Tolii „suspicio" cessatio 25, 6. 29. modulatio 13. 65. oblivio 52. Brito epigr. 109, 2. 110, 2. 113, 2. 114, 2. codices „Brito et homo" praebent; Vinetus recte „Brito Bono" emendavit. Maro epigr. 118, 3. prof. 22, 13. ep. her. 13, 4. idyll 5, 26. Cato par. 22, 3. cf. Juv. 2, 40. Narbo prof. 18, 4. nob. urb. 13, 1. Varro prof. 20, 10.

Draco 22, 10. Glabrio 24, 2. 12. Nero Caes. monost. 3. 5. Tarraco nob. urb. 9, 4. Barcino epist. 24, 89. Deinde: paro praef. ad Syagr. 40 profero epigr. 3, 2. volo 3, 5. 13, 8. 39, 1. 8. cf. Cat. 6, 17. Pers. 5, 84. Mart. 1, 8, 6. 57, 4. 6, 61, 4. effundo epigr. 4, 3. seco 4, 4. mitto 4, 6. rogo 12, 9. cf. Mart. 3, 76. 3. 95, 3. exigo epigr. 12, 11. asto 21, 3. punio 21, 4. puto 35, 3. 57, 2. 58, 2. cf. Mart. 1, 5, 2. 4, 26, 3. 8, 4, 4. detrecto epigr. 39, 3. gesto 53, 4. fero 54, 7. dico 55, 1. fallo 58, 5. nescio 77, 2. amo 91. 1. cf. Mart. 1, 32, 1. 2. malo 92, 10. vado 105, 3 eodem versu o longo; sumo 105, 7. juro ephem. or. 44 cf. Mart. 7, 12, 9. cognosco 47 opto, fido 53 cerno ephem. carm. postr. 17 accumbo 21 dedico 43. libo par. 3, 19. torqueo 9, 13. maereo 17. diligo 23, 12. nob. urb. 14, 39. fraudo prof. 18, 13. condemno nob. urb. 14, 1. colo 39. connecto idyll. 4, 63. lego 64 cerno 5, 20. usurpo 10, 366. oro 378 detero 390. concino 443. peto 445 frango epist. 2, 15. libro 16 agnosco 25, 28 postulo 35. Tum: dabo epigr. 34, 16, ep. her. 3, 5 cf. Cat. 13, 11. Mart. 4, 72, 3. dissociabo epigr. 38, 3. fraudabo par. 10, 1. prof. 23, 1. reticebo nob. urb. 12, 1. techn. de cib. 1 putabo sept. sap. praef. 14 sperabo idyll 4, 40. memorabo 10, 399. commendabo 483 enumerabo epist. 9, 16. parabo 11, 1. Quam licentiam et substantivorum et verborum vocalem finalem o corripiendi apud Ausonium latissime patere si videmus, secutus est poetas posteriores; nam classici qui vocantur parce illam ad miserunt, plerumque in bisyllabis vocibus, quarum prior brevis aut in trisyllabis, quarum prima tantum longa: dabo Cat. 13, 11. scio 6, 16. Virg. A. 3, 607. eo Hor. sat. 1, 6, 119. rogo epist. 1, 1, 11. veto sat. 1, 1, 104. peto Ov. Met. 6, 352. puto 2, 566. dixero Hor. sat.

1, 4, 104. nuntio Virg. A. 1, 391. desino Tib. 2, 6, 41. pro quo Stat. Colb. et ed. maj. a. 1472 „desine“ habent nescio Prop. 1, 11, 7. Tib. 1, 6, 6. 55. Virg. Ge. 1, 412. 4, 55. Ab illa autem norma haec vocabula trochaice usurpata abhorrent: Naso Ov. trist. 3, 3, 74 in elogio, quod sibi ipse finxit; findo Prop. 4, 9, 35. Adde finali breviata rependo Ov. her. 15, 32.

Sed ut ad Ausonium revertar, hi ablativi gerundii corripiuntur: percontando epigr. 12, 15. meditando 141, 2. ex periundo ephem. ord. coqu. 4 fando prof. 21, 18. faciendo, patiendo Caes. tetrast. 5, 4. manendo sept. sap. Chil. 2 praefando idyll. 4, 54. Eadem libertas apud Juv. 3, 232 vigilando. Sen. Troad. 264 vincendo. Nec vero imperativi non commemorandi sunt: esto prof. 11, 6. idyll 15, 40. 42. habeto prof. 12, 8. scito prof. coron. 2. caveto sept. sap. Per. 5. 6. 7. Denique quando epigr. 12, 13. cod. Til. „quandoque“ vero epigr. 115, 1. epist. 6, 4.

Praeterea quemadmodum jam supra significavi nonnulla vocabula inveniuntur apud Ausonium, quorum iisdem syllabis metri necessitati indulgens nunc longis nunc brevibus usus est. Attamen hic, sicut par est, de finalibus tantum syllabis dissseretur, cum alias ejusdem generis voces suo loco allaturus sim. Pertinent huc nolo epigr. 12, 7. 39, 8. 69, 15. nolo epigr. 55, 4: ergo epigr. 15, 3. par. 3, 18. 18, 11. 29, 7. epist. 25, 56. ergo par. 26, 7. idyll. 17, 18. ambŏ epigr. 40, 2. par. 7, 11. prof. 10, 8. 21, 25. 27. epist. 1, 6. 25, 47. ambō epigr. 134, 4. Et quod Plautus et Terentius melicis partibus exceptis et Horatius et Catullus semper corripuerunt, „ego“ sic se habet apud nostrum: egŏ epigr. 7, 1. 8, 5. 12, 2. 14. 21, 2. 34, 15. 38, 3. 66, 2. 69, 16. 135, 5. par. 10, 1. ep. her. 10, 3. 23, 3. 28, 4. idyll.

4, 38. 94. 10, 341. 389. 438. 448. 482 ego praef. ad Syagr. 35. epigr. 54, 6. 105, 7.

Consonanti terminatae syllabae finales longae corripiuntur ephem. or. 42 in nomine proprio Helias. Adde par. 27, 4 celeripes, idyll. 11, 39 bipes, tripes. epist. 21, 40 lentipes.

Jam paenultimam breviatam videmus horum verborum: ipsius epigr. 36, 3 cf. Virg. A. 12, 114. bubus 62, 2. contigerunt prof. 16, 10. Cujusmodi perfecta alibi saepissime extant velut apud Ov. fast. 2, 205. horruerunt. Tib. 2, 3, 12 profuerunt. 4, 5, 4. Hor. epist. 1. 4, 7 dederunt. Virg. Ge. 3, 282. miscuerunt. Prop. 2, 3, 25 contulerunt 4, 8, 28 palluerunt Phaedr. 3, 2, 19 laeserunt 3, 8, 5 inspexerunt 4, 15, 2 coeperunt. Dubia lectio est nob. urb. 6, 14. Lipsius, Graevius, Tollius „corruerunt", quo recepto constructio nimis evadit tortuosa. Idcirco magis mihi arridet quod Scaliger, Gronovius „corruerent" scribunt. Deinde potitur Caes. monost. 5. cf. Virg. A. 3, 55. Ov. met. 7, 155. 13, 729. 14, 449. Manil. 4, 882; omni prof. 6, 53 quae licentia inelegantior tolleretur „ab" expuncto; Citheron idyll. 11, 32. tetragono eclog. de rat. puerp. mat. 21. 42. trigono 40.

Antepaenultima corripitur horum nominum: Phidiae epigr. 12, 1. solicismus 138, 4 (Vinet. ex cod. Lugd) Clytemestra ep. her. 1, 4 (ex emend. Scal.) Phaeacum idyll. 11, 36, quod Scaliger in codice vetere se reperisse dicit. Vinetus, Tollius „Thracum" legunt; trigonorum idyll. 11, 50. Denique Vespăsianus Caes. monost. 10 temp. imp. 10. de mort. 10.

Habetis correptionem syllabarum; nunc cognoscite quae ad productionem pertinent. Finales syllabae producuntur harum vocum: in arsi quia prof. 8, 7. disce epist. 5, 35; quaestor praef. ad Syagr. 35. mercator epigr. 44, 4, ubi

„mercator hodie“ cod. Paris. praebet, quam egregiam lectionem Tollius prae „omnia mercatus“ neglexit; tertius prof. 8, 9. In arsi et caesura: magnanimus epigr. 24, 6. talis 8. finis par. 6, 10. solus 10, 14. fugis ep. her. 30, 2. Ausonius prof. 20, 6. amnis idyll. 10, 221, ubi autem Barthius recte „amnisque“ conjecit, quem Boeckingius sequitur; periit techn. de hist. 12, nam jure scripsit codice adjutus Scaliger „periit index“, Tollius „vindex“ cf. Hor. carm. 1, 3, 36 „perrupit“ alia; satus, pro quo Gronovius „carens“ legi vult eclog. de rat. libr. 21. Troas per. Iliad. 13.

Paenultima producitur particulae „dehinc“ in thesi prof. 24, 6 (ex emend. Scal.) et substantivi „spei“ par. 13, 9 in arsi. Vulgo hic legitur „heu quanta vitae decora, Quem cultum spei, quem dolorem sauciis“ (ed. Pulmann „sociis“). Scaliger correxit „quem saepe luctum“; hanc emendationem Graevius rejecit, sed idem vitium non tollens, cum scriberet „quam multum spei“, nam sic quoque syllaba „spe“ producitur. Verum vidit Gronovius, qui „heu“ repetens versus in hunc ordinem digessit „heu quem dolorem sauciis, Heu quanta vitae decora, quem cultum spei“. Hoc modo etiam altera licentia syllabam „de“ vocis „decora“ producendi evanescit.

Antepaenultima autem longa reperitur verbi rudere epigr. 76, 3; sic apud solum Persium 3, 9. Ab aliis syllaba prima breviatur cf. Virg. A. 3, 561. 8, 248. georg. 3, 374. Ov. fast. 6, 342. Item parricidae Caes. tetrast. 21, 2 in arsi; recipiat sept. sap. Chil. 2 in arsi, nisi primam syllabam vocabuli „quoad“ produci mavis. Adde prima producta palatia praef. ad Syagr. 25, Dryadiam par. 23, 10. 25, 1, quem versum Scaliger ex libro vetere reconcinnavit; Diogenes ep. her. 31, 2. 3.

Postremo de earum vocalium, quibus muta littera cum liquida conjuncta subjicitur, quantitate pauca verba facturus syllabarum hac ratione productarum et correptarum numerum satis aequalem esse et parem observavi. Atque longae quidem hisce locis occurrunt: Agathoclea epigr. 8, 1. feretro 24, 5. cf. Ov. met. 14, 747. bibliotheca 44, 1. quadriangulum 128, 3. quadrijugo ephem. or. 41. cf. Virg. georg. 3, 18. A. 12, 162. Ov. trist. 4, 2, 54 met. 2, 168. quadrupedum ephem. carm. postr. 1 cf. Virg. A. 11, 714. sacrificis prof. 22, 6 cf. Ov. fast. 1, 130. 6, 803. met. 13, 590. 15, 483. quadruplices nob. urb. 11, 1. ludibria idyll. 6, 75. cf. Virg. A. 6, 75. Hor. carm. 1, 14, 16. mediocribus 8, 11. cf. Hor. sat. 1, 4, 130. 2, 2, 94. Ov. Pont. 1, 5, 83. agris 10, 23. agrum epist. 10, 18 cf. Virg. ecl. 1, 73. Hor. sat. 1, 8, 12 muliebre idyll. 11, 8 cf. Hor. epod. 16, 39. trimetriam epist. 16, 78 dimetria 104. metra 21, 11. volucripes 16, 104. 21, 14. Interdum etiam vocabulo a muta cum liquida conjuncta incipiente syllaba brevi vocali terminata praecedentis vocis producitur. Sic nob. urb. 10, 6 „versa Graja manus centum se effudit in urbes"; sept. sap. Bias 13 „abeo. Valete et plaudite. Plures boni." eclog. de sign. coel. „Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus et Urnam" de iisd. mens. 1. „Jane nove, primo qui das tua nomina mensi". Idem apud alios poetas, ut apud Virg. A. 7, 186 spiculaque clipeique. 12, 181 fontesque fluviosque. georg. 1, 152. 3, 385 lappaeque tribulique. Hor. sat. 1, 396 fere placuit. Cat. 4, 9 Propontida trucemve 18 impotentia freta. 29, 4 ultima Britannia.

Nec vero minus fere saepe post mutam cum liquida conjunctam litteram productio negligitur. Sic cerebrum epigr. 45, 2. cf. Ter. ad. 3, 2, 19. 5, 2, 7. putrefacta 188, 2 cf.

Ov. met. 15, 389. atrox 139, 6. cf. Hor. carm. 2, 1, 23. Virg. georg. 1, 408. volucrum ephem. carm. postr. 1. cf. Virg. A. 10, 440. Hor. sat. 1, 8, 6. Ov. met. 7, 218. 770. 13, 607, ubi eodem versu „volŭcri — volūcris". proprias par. 19, 6. cf. Hor. carm. 1, 1, 9. epist. 1, 17, 5. Virg. A. 6, 872. latebris prof. 23, 4. cf. Ov. a. a. 3, 754. met. 1, 216. locupletavit 5. multiplici idyll. 2, 50. cf. Cat. 64, 305 ludicra 4, 1. cf. Virg. A. 12, 764. duplicato 5, 17. cf. Lucr. 6, 337. Virg. A. 12, 927. latebras 6, 34. pharetram 50 cf. Virg. A. 1, 323. Atlantiaco 10. 144. multiplicanti 11, 2 cf. Ov. rem. am. 98. vitreas 179. vitreo 223. cf. Mart. 7, 72, 8. Ov. a. a. 2, 208. Virg. georg. 4, 350.

Saepe Ausonius ad metri necessitatem ita se accommodavit, ut eadem syllaba ejusdem verbi modo longa modo brevi usus sit: pātris ep. her. 24, 3. Caes. tetrast. 14, 2. idyll. 3, 8. 6, 39. pătris ephem. or. 27. idyll. 4, 41. pātri praef. ad Syagr. 5. idyll. 3, 5. 4, 90. pătri Caes. tetrast. 22, 1. idyll. 10, 358. pātrem ephem. or. 80. pătrem 47 pātre epigr. 33, 1. ephem or. 83. ep. her. 15, 2. Caes. tetrast. 17, 2. pătre praef. ad Syagr. 6. par 3, 1. discīplinarum praef. ad Syagr. 14. discīplinae idyll. 10, 452 discīplinis 17, 15. discĭplinis prof. 8. 14. cathēdrae prof. 22, 17. cathĕdra 1, 7. dūplex idyll. 2, 5. 8, 47. dūplice nob. urb. 5, 3. dŭplex 8, 1. dŭplicem idyll. 4, 91. dŭplices 10, 39. epigr. 117, 2. trīplex idyll. 11, 10. 65. 67. trĭplex 19, 69. trĭplici epist. 21, 21. ūtraque epigr. 91, 5. idyll. 10, 364. 458. ŭtrumque epigr. 36, 3. ŭtrique 41, 2. Hunc versum a correctoribus concinnatum esse, tum quia non pentameter, tum quia coactus neque liber sit, Scaliger censet. Idem v. 1. quoque spurium judicat; ŭtramque epigr. 71, 7. ŭtraque 106, 4, 132, 1. ŭtroque 133, 1. celēbrem nob. urb. 11, 2. celĕ-

bris 5, 7. celĕbres 14, 35. celĕbri idyll. 10, 109. celĕbrasti prof. 5, 8. celĕbrata praef. ad Syagr. 17. celĕbraveris idyll. 5, 28. Ātrides ep. her. 1, 1. Ătrīdam epist. 16, 11.

Atque de quantitate syllabarum satis dictum est. Sequitur ut de allitteratione disputem. Frequentissime autem eam adhibuit Ausonius, ut te poetam quendam antiquioris aetatis velut Ennium, a quo illam valde adamari satis superque constat, in manibus habere putaveris. Interdum per ludum poeticum fines legitimos excessit. Longum tamen est omnia enumerare exempla; quare quae majoris sunt momenti, ea tantum afferam: epigr. 16, 6 profugo ferri pondere necte pedes. 17, 7 cum capillo comparans. 39, 1. 2 hanc volo quae non vult, illam quae vult ego nolo; vincere vult animos, non satiare Venus. 57, 1 vera Venus Cnideam (alii „fictam“) cum vidit Cyprida, dixit. 3 non vidi nec fas, sed ferro opus omne polimus. 59, 3 hunc quoque praestarem, si me pro parte parasset. 60, 3. 4. illecebras verae si vis dare, Daedale, vaccae, viva tibi species vacca Myronis erit. 107, 2 factus es (aliam scripturam „natus es“ Tollius affert) o pulcher paene puella puer. 112, 1 si simplex Silvius esse. 117, 2 potat duplum dapesque devorat duplices. 141, 3 quae didicisti haud dum, dicendo absumere tendas. Sic Scaliger; Pulmannus et Tollius „discendo“, quod magis placet. Graevius nulla causa „absumere“ respuens „adsumere“ conjecit Tollio probante. At verbo absumendi multo clarius illustratur discendi cupiditas. par. 1, 1 primus in his pater Ausonius, quem ponere primum. 3, 1 culta mihi est pietas patre primum et matre vocatis 9, 4 mors memoranda mihi. 12, 2 esse suam, soror hac non Dryadia fuit? Sic Scaliger correxit quod codex exhibet: „Driadria non ruit“. Verum par. 23, 10. 25, 1, quem versum idem vir doctissimus poetae re-

posuit, tres primae syllabae nominis „Dryadia“ dactylice usurpantur. Vinetus suspicatus est „Dryadia viruit.“ ultima syllaba producta, Gronovius, quocum Tollius facit, „Dryadia enituit.“ recte emendavit. par. 12, 7 verum vita cui carius unaque cura. 16, 1 vel nuruis mihi nomine vel vice natae (ex recogn. Scal.). 3 forma et fama fidesque prof. 4, 8 si fama non fallit fidem. 5, 35 minus malorum munere. Ita edidit Scaliger. 12, 6 tum quoque tam tenuis quam modo nulla manet. 14, 12 majorum Manes et monumenta foves. 15, 2 melle multo mens madens. 9 probe et pudice, parce. 17, 13 praesidis Hispanumque tibi tribuere tribunal. 20, 6 alter ut Ausonius, alter ut Arborius. 23, 11 fuerit fuga famaque vitae. coron. 4 memorasse mihi morte. ep. her. 10, 2 cui communis erat cum Diomede domus. 16, 3. 4. sanguineis fletus lacrimis (pro ferrea fata) et patitur luctum, qui prohibere potest? 28, 3 sed sine sensu. Caes. monost. de ord. imp. 4 Cajus (Tollius „Caesar“) cognomen Caligae cui castra dederunt. tetrast. 14, 3 sociat sibi sorte nob. urb. 6, 1 Capuam pelago cultuque (Mariang. Accursius numeris satis faciens pro „cultu“) penuque potentem. 15 stabilem sortita superbia sedem. 12, 9 quos genuit cunctos gremio complexa colonos. sept. sap. prol. 9 campus comitiis ut conscriptis curia. 29 suas solent sententias. 31 scitis profecto quae sint: sed si. Sol. 26 pro patria pugnans. Thal. 6 recusans non recepi, at reddidi. 10 missum ac remissum rursus ad me referunt; alii „deferunt“ 21 per mille possum currere exempla, ut probem. idyll. 1, 1 sancta salutiferi redeunt sollemnia Christi. 18 ex vero verum vivaque ab origine vivum. 3, 12 cuncta cupit Croesus. 4, 71 pellexi ut mites peterent per acerba profectus. 6, 1 memorat quos musa Maronis. 51 vanum vibrare vigorem; Barthius „rigorem“. 8, 52 tunc

ero bis consul, tunc tangam vertice coelum. 10, 61 cum vada lene meant liquidarum et lapsus aquarum 188 fluvius. Frondere videntur. 199 collis et umbrarum confinia conserit amnis. idyll. 11 allitteratio saepissime adhibetur, inprimis vide 49 tergenus omnigenus genitor, genitrix, generatum. 14, 15 raperetne rosis aurora ruborem. eclog. de rat. libr. 33 mane morum mihi libra meorum. de nom. sept. dier. 10 sexta salutigerum sequitur. 11 supergrediens Saturni septima. dist. de iisd. mens. 21 salo mergens sollemnia signa. epist. 1, 24 maturam frugem flore manente ferens. 35 genitor geminata vocabula gaude 5, 5 bis novies denos dicam deciesque novenos. Vinetus, Graevius cum iisque Tollius „vis“ scribendum putant. 9, 48 inque vicem conviva vocatus adivi. 14, 36 vale. Valere si voles me, jam veni. 20, 5 palma poetica pollet. 23, 9 metus, et morem missae. 24, 35 suo socium secernere. 95 proxima praedia pago. 25, 18 quadrupedesque silent, habet et sua sibila serpens. 21 tentis reboant cava tympana tergis.

Restat ut pauca addam de ictus mutatione. Est enim poetarum mos, ut eodem versu idem verbum repetentes ictum ejus mutent, quam legem etiam Ausonius satis accurate observavit. Compares epigr. 12, 1 sum dea, quae facti non factique exigo poenas. 105, 3 vado tamen, sed dimidium vado minor ipso. 134, 1 non est dives opum dives. ep. her. 32, 5. 6. quis mortem accuset? quis non accuset in isto Aetatis? meritis anus est, aetate puella Cod. Lugd. „insta“, ex quo Scaliger „in isto“ restituit. idyll. 10, 431 dives aquis, dives nymphis. eclog. de rat. libr. 24 et semis cui semis erit. Ceterum cf. Prop. 3, 13, 49 auro pulsa vides auro Ov. her. 2, 5 luna quater latuit, toto quater orbe recrevit. Virg. A. 2, 306 sternit agros, sternit sata.

Tib. 1, 5, 61 pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit. Mart. 5, 53, 1 Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten Valer. Cat. Lyd. 16 gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata. Ter. eunuch. prol. 27 si id est peccatum, peccatum imprudentiast. Sed eodem ictu sane addito „que“ epigr. 20, 12 potare immixtum sueta merumque merum 111, 1 Silvius iste bonus fertur ferturque Britannus. cf. Ter. adelph. 4, 5, 62 bono animo es, duces uxorem. Hem. Bono animo es inquam.

Expositis igitur quae in universum ad rem metricam spectant, nunc de singulis metris dicturus orationem meam ita instituam, ut ordiar ab iis, quae pertinent ad γένος ἴσον, deinde γένος διπλάσιον, tum composita metra pertractem, postremo de nonnullis carminibus disseram, quorum quodque diversis incedit numeris. Quibus usus est Ausonius, si metra contemplamur, quamquam singulae res ad normam poetarum optimorum non exactae sunt, non sane invenuste fluunt magnamque varietatem, interdum singulare artificium prae se ferunt. Admirationem in ea re non potest nobis non movere technopaegnion quod vocatur sic conditum, ut in priore parte omnes versus a vocibus monosyllabis incipiant et finiantur, et quo versus terminatur in initio sequentis collocetur vocabulum, in posteriore exeant quidem in verba monosyllaba.

In γένει ἴσῳ hae sunt distinguendae formae: primum dactylica metra, ex quo numero distichon elegiacum, hexametros, metrum Archilochium primum, versus Archilochios minores continuos, tetrametros in syllabam catalectos, tetrametros acatalectos, quos excipiunt versus Archilochii minores, pentametros usurpavit Ausonius. Alterum genus est anapaestum, ex quo systemata ex binis dimetris acatalectis et singulis monometris acatalectis composita, monometri acata-

lecti, dimetri catalecti sive paroemiaci versus apud nostrum leguntur.

Ac primum quidem dactylicorum metrorum frequentissime distichon elegiacum, paullo rarius hexametri continui usurpantur. His duobus metris longe plurima Ausonius condidit carmina. Ut in primis ad caesuram accedamus, tam apte tamque varie adhibetur quam a poetis aetatis aureae. Usitatissima semiseptenaria est conjuncta cum incisione post arsim alterius pedis facta. Compara praef. ad Theod. Aug. 1. 7. 15. ad Syagr. 1. 5. 17. 33. 35. epigr. 1, 4. 14. 2, 5. supervacanea est conjectura Tollii pro vulgari lectione „mirantur“ scribentis „miramur“ 3, 1. 8, 7. 12, 13. 33, 1. 35, 7. 9. 39, 3. 58, 5. 70, 9. 105, 5. 9. 123, 5. 135, 11. 138, 3. ephem. or. 16. 17. 21. 24. 25. 34. 40. 45. 47. 57. 59. 60. 64. 66. 69. 71. 76. 81. 83. carm. postr. 10. 15. 19. 24. 28. 33. 36. par. 1, 1. 5, 1. 3. 7, 11. 8, 1. 9, 19. 11, 5. 12, 5. 14, 5. 15, 11. 22, 5. 23, 1. 19. 24, 5. 13. prof. praef. 1. 1, 9. 23. 12, 1. 13, 1. 5. 14, 7. 17, 1. 8. 16. 20, 11. 24, 1. ep. her. 2, 3. 3, 3. vulgo „inconstans lacerata comas“; Canterus, quem Tollius sequitur „incomtas“. 6, 1. 7, 1. 15, 1. 16, 3. 19, 1. 22, 1. 3. 27, 1. 9. 28, 1. 31, 3. 37, 3. 5. 38, 1. Caes. tetrast. 8, 3. 15, 3. 17, 1. 19, 3. pro „doluit“ alii libri „docuit“. nob. urb. 2, 2. 3. 8. 11. 3, 6. 6, 7. 16. 18. 8, 7. 9, 4. 13, 12. 16. 14, 8. 10. idyll. 1, 14. 16. 3, 25. 4, 2. 4. Tollius nulla causa „requie“, vulgo „requies“ 21. 49. 5, 6. 11. (ex emend. Scal.) 15. 20. 28. 6, 7. 31. 7, 3. 5. (Scal.) 9. 11. 8, 1. 12. 25. 9, 1. 10, 16. 28. 75. 137. 142. 180. 183. 184. 394. 395. 397. 11, 44. 15, 6. eclog. de rat. libr. 1 elisione simul admissa. 8. 23. de rat. puerp. mat. 2. 4. de nom. sept. dier. 2 de fer. rom. 7. epist. 1, 1. 2,

5. 9. 18. 19. 4, 7. 31. 57. 5, 9. 9, 3. 6. 12. 31. 10, 21. 18, 11. 13. 19, 1. 5. 23, 30. 24, 1. 12. 13. 20. 22. 39. 60. 25, 3. 28. 47.

Saepe caesuras bucolicam et semiquinariam copulatas videmus: praef. ad Theod. Aug. 13. ad Syagr. 9. 41. epigr. 1, 12. 11, 3. 12, 9. 19, 1. 27, 1. 35, 5. 47, 1, 54, 7. 55, 1. 63, 1. 65, 3. 80, 1. 83, 1. 86, 1. 89, 3. 90, 3. 105, 1. 125, 1. 130, 7. ephem. or. 9. 11. 55. par. 2, 1. 4, 5. 6, 1. 9, 17. 15, 1. 5. 16, 1. 24, 7. prof. 1, 35. 13, 3. 19, 3. 22, 5. 23, 11. 24, 11. coron. 3. ep. her. 28, 3. Caes. tetrast. 3, 1. 16, 1. nob. urb. 3, 10. 5, 1. 7, 4. 14, 39. sept. sap. sept. vers. Bias 2. 4. idyll. 1, 8. 3, 21. 4, 1. 41. 6, 3. 7, 73. 95. 9, 2. 10, 110. 146. 165. 443. 445. 11, 4. quem versum Scaliger verbis „omnis in istis — coepit“, Tollius „omnia in istis — coepti“ terminari vult; 9. 20. in fine Scal. ex cod. auctoritate „omina trina“, Tollius „omnia terna“; 63. 88. 15, 11. 17, 10. epist. 9, 18. vulgo „ditissima“, Graevius de suo „mitissima“; 10, 5. 14, 3.

Cum ea incisione quae est post arsim alterius pedis bucolica conjungitur epigr. 1, 15. 13, 1. eclog. de lustr. agon. 3. idyll. 10, 414. cujus versus hoc proprium est, ut meris dactylis decurrat „nobilitas repetenda nepotibus. At modo coeptum.“ Item idyll. 11, 39 „qui bipes et quadrupes foret et tripes omnia solus.“ 49 „tergenus omnigenus genitor, genitrix, generatum,“ eclog. de fer. rom. 27 „nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.“ Puris spondeis incedit quinta sede excepta par. 14, 9 hoc praefecturae sedes, hoc Illyris ora.“ Verum ut ad id unde declinavi revertar, sola post tertium trochaeum caesura reperitur idyll. 15, 14, quem versum incipi vult. Mar. Accursius Tollio adstipulante „iras-

que insidiasque“, vulgarem lectionem „iras“ explodens; sed ita ut simul post arsim alterius pedis incidatur praef. ad Syagr. 31. par. 3, 7. prof. 14, 11. idyll. 6, 10. 14, 17. Post tertium trochaeum et bucolicam caesuras habes epigr. 104, 1.

Fracti vero et languidi numeri sunt qui extant in eclog. de sign. coel. (quod poematium Scaliger spurium judicat) v. 11: „Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis et ingens“; v. 16: „celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.“ Barthius sic transposuit: „Turibulum, Chiron, Hydrus quoque, Piscis et ingens. Tardior omnibus his Saturnus celsior astris.“ Adde v. 5: „Pegasus et Delphinus, Telum, Aquila Anguitenensque.“ Sed vetus exemplar Vineto auctore: „Pegasus et Delphin Telumque, Aquila Anguitenensque.“ Jam semel accidit, ut in pentametro medium in vocabulum incidat caesura eaque re illud in duas partes distrahatur et prior pars ad prius dimidium, posterior ad posterius referenda sit par. 16, 6: „accersenda est uxor proavi Eusebii.“ Sic Scaliger satis invenuste scribit; probabilis lectio est „accersenda uxor est proavi Eusebii“, nam productio syllabae „xor“ a more Ausoniano nòn abhorret. Vinetus conjecit „accersenda esset vox“, quod Tollius amplexus est.

Nec vero etiam distinctio negligenda est. Hanc autem interdum admisit inter quintum et sextum pedem parum eleganter versu ad finem vergente. Sic epigr. 20, 1. 52, 1. 57, 1. 118, 1. ephem. or. 13. carm. postr. 17. prof. 17, 2. idyll. 2, 47. 10, 390. 15, 48. eclog. de rat. libr. 18. 29. Saepius duae monosyllabae voces interpunctioni in fine subjiciuntur praef. ad Syagr. 15. epigr. 5, 1. 12, 9. 20, 3. 54, 5. 75, 5. 84, 5. 92, 11. 104, 1. 144, 1. ephem. or. 52. par. 1, 7. 9, 19. 23, 11. prof. 17, 4. ep. her. 19, 5.

Caes. monost. de ord. imp. 3. nob. urb. 2, 12. 14, 1. idyll. 4, 39. 43. 98. 6, 91. 10, 357. 16, 16. 17, 8. eclog. de rat. libr. 10. epist. 1, 21. 4, 63. 9, 36. 10, 11. 24, 51. 82.

Nec magis eleganter interpunxit Ausonius post primam brevitatem quinti pedis praef. ad Theod. Aug. 11. epigr. 12, 7. 21, 1. 81, 1. Versus finitur verbo „supersit", Tollius „superfit"; 118, 3. par. 6, 7. ep. her. 38, 1. nob. urb. 2, 5. sept. sap. sept. vers. Bias 3 idyll. 10, 113. 11, 52. 54. epist. 1, 19. 20, 1. Bis etiam post arsim sextae sedis prof. 22, 7. 24, 5.

Praeterea cognoscere juvat, quam varie versus terminetur. Nam aliquoties una monosyllaba vox in fine hexametri collocatur: epigr. 12, 15. 55, 1. 92, 3. 118, 3. 129, 1. 130, 7. Vulgo in fine „tui vim"; aliae scripturae „tua mens, tua amens, tui mens." par. 11, 3. prof. 22, 7. 24, 5. ep. her. 38, 3. idyll. 2, 17. 3, 9. 8, 1. 28. 36. 44. 16, 23. eclog. de rat. libr. 12 de rat. dier. ann. vert. 1. quo mense quotae Nonae vel Idus sint 1. epist. 7, 16. Huc quoque spectat totum idyllium 11, quod inscribitur technopaegnion ita compositum, ut in priore parte omnes versus a vocibus monosyllabis incipiant et finiantur et quo versus terminatur vocabulum in initio sequentis ponatur, in posteriore exeant certe in verba monosyllaba. In duo porro monosyllaba vocabula desinit hexameter interpunctione antecedente locis laudatis, ea deficiente epigr. 8, 5. 118, 15. 145, 1. idyll. 3, 11. 11, 1. 59. eclog. de nom. sept. dier. 11. Tribus monosyllabis vocibus terminatur versus epigr. 12, 7. nob. urb. 14, 39.

Inveniuntur quoque hexametri, qui aut in molossum aut, id quod frequentius est, in dispondeum exeunt, qua re versus spondaici exsistunt: praef. ad Syagr. 31. ephem. carm. postr.

32. par. 11, 7. prof. 22, 1. nob. urb. 12, 5. idyll. 1, 23. 25. 28. 4, 82. 10, 11. 342. 452. 11, 53. 17, 15. eclog. quoteni dies sint mensium singulorum 5. quotae Calendae sint mens. sing. 7, epist. 4, 8. 9, 46. In clausula versus codex contra numeros „collecta Plautinorum"; Gronovius „colliphia", Scaliger optime „collegia" emendavit. 18, 15. 25, 51. Omnibus his locis Ausonius in quarto pede dactylum posuit, spondeum tamen epist. 4, 53.

Jam quae quinque syllabis constant vocibus hexametri finiuntur: quam clausulam mollem vocat Quintilianus, quapropter ejusmodi versus libenter evitari solent a poetis latinis. Exempla haec sunt: epigr. 69, 11. 70, 9. 100, 2. 119, 1. ephem. or. 9. ep. her. 12, 1. prof. 20, 1. 23, 7. Caes. monost. de ord. imp. 10. temp. imp. 10. de mort. 10. nob. urb. 3, 1. 3. idyll. 6, 87. 10, 129. 404. 11, 2. 21. 30. in fine „Mnemosynarum". Heinsius cum eoque Tollius poeta formam a lingua latina alienam „Mnemonidarum" obtrudunt; v. 80. 15, 28. 17, 6. 23. eclog. de sign. coel. 3. de lustr. ag. 3. epist. 10, 3. 25, 72.

Versus hypermetri duobus locis extant: eclog. de rat. dier. ann. vert. 7. terminatur voce „altero". Scripsisse autem poetam ad exemplum scaenicorum „altro" Luc. Mueller de re metr. poet. lat. p. 383 arbitratur. Jam epist. 9, 28 in clausula habemus „carentia", pro quo „carentis" corrigi vult Wernsdorfius poet. lat. min. I.

Pentametrum, ut alia omittam, poetarum Augusto imperatore florentium auctoritatem secutus raro admodum voce monosyllaba terminavit Ausonius: epigr. 12, 2. 13, 2. 46, 2. 77, 2. 110, 2. 134, 4. prof. cor. 4. idyll. 3, 18; plerumque bisyllaba, interdum tamen trisyllaba praef. ad Theod. Aug. 22. ad Syagr. 2. 4. 18. 24. 30. 36. epigr. 12, 4. 6.

8. 16. 36, 2. par. 15, 4. prof. 1, 6. ep. her. 16, 2 alibi; denique tetrasyllaba praef. ad Syagr. 16. 22. 28. epigr. 3, 4. 4, 4. 12, 14. 95, 4. 98, 2. par. praef. 6. prof. 1, 18 alibi.

Atque haec quidem hactenus de disticho elegiaco et de hexametro. Sequitur metrum Archilochium primum, in quo hexametro subjicitur versus Archilochius minor, idem quod Hor. carm. 4, 7., apud nostrum poetam repertum par. 26: „quin et funereis amitam impertire querelis Musa Cataphroniam" sq. et idyll. 7. ad lectorem: „carminis incomti tenuem lectore libellum Pone supercilium" sq. Accommodante se Ausonio ad communem usum versus Archilochii minores puris incedunt dactylis. Neglexit autem hanc legem prof. 10, quod carmen conditum est Archilochiis versibus continuis: „nunc ut quemque mihi Flebilis officii" sq. Hoc poematium antea obscurum, distortum, depravatum in integrum restituit Scaliger. Idem hos tres versus „et memora tenuem Naenia grammaticum Quamque habuit etiam" tanquam a correctore subditos expunxit, Tollius duos primos recepit, omisit tertium. Constat igitur, si Scaligero assentimur, carmen 55 versibus. Vulgo vv. 13 et 14 „sobrius in pueris et puerorum" leguntur. Cod. Lugdun. unico versu praebet „sobrius et puerorum", cujus auctoritate nitens „in pueris" Tollius ejiciendum esse recte censet. Tum autem versus hypercatalecticus evadit: quae licentia quoniam in hexametris tantum et in systematis tolerari potest, forsitan „puerum" corrigendum est. Praeterea „at" quam vulgarem lectionem „et" accommodatius sensui esse puto. Praeter morem spondens invenitur in primo pede vv. 1. 5. 12. 29. 45, in altero vv. 42. 49, in primo et altero vv. 27. 31.

Denique unum carmen pentametris incedit sept. sap. sept. vers. de Thalete Milesio heptastichon: „turpe quid ausurus te sine teste time" sq.

Alterum genus est anapaestum, cujus tres species occurrunt: systemata ex binis dimetr. acatal. et singulis monom. acatal. composita, monom. acatal., dim. catal. sive versus paroemiaci.

In systematis illis, quae in ordinem redegit Scaliger, prof. 21 ,,tu quoque in aevum, Crispe, futurum" sq., quem lex metrica repudiat, hiatum bis admisit poeta vv. 7. 14. Usitata autem est ut apud alios poetas sic apud nostrum post alterum pedem diaeresis v. 16 excepto. Tollius Vineti conjecturam amplexus est hunc versum incisionis expertem exhibentis: ,,priscos ut et heroes olim"; Scaliger: ,,priscos heroas ut et olim." Quam lectionem si veram esse statuimus, haec caesura in dimetris anapaestis interdum occurrit, sed aut ,,et" productum putandum est aut syllaba ,,as" vocis ,,heroas". Quare Vineti ,,heroes" praeferens versum sic legendum censeo: ,,priscos heroes ut et olim." Jam si singulos pedes contemplamur, rarissime anapaesti ipsi usurpantur, praevalent dactyli (sed ii in primo solum et tertio pede) et spondei, ita saepe ut hi illis subjiciantur vv. 2. 5. 7. 10. 11. 14. 22. Tres dimetri binis dactylis et binis spondeis constant vv. 1. 17. 23; tres spondei deinceps leguntur vv. 4. 13. 19. 20. Valde autem displicet, quod v. 10 dactylus et anapaestus continuantur. In monometris horum systematum anapaesti prorsus evitantur, quorum locum quos excipiunt spondei vel trochaei dactyli occupant, quare accentus et ictus vehementer inter se repugnant. Eandem quam Adonii versus praebent formam.

Monometris usus est Ausonius continuis prof. 6 ,,o flos juvenum" sq. Hoc carmen veteris libri scriptura adjutus Scaliger restituit, quem sequimur. Tollius discrepat versus sic transponens: v. 5 apud Scal. v. 11; v. 6 — v. 11 Scal.

v. 20 — v. 25; v. 12 — v. 17 Scal. v. 28 — v. 33; v. 18 Scal. v. 36; v. 19 Scal. v. 12; v. 20—22 Scal. v. 13—15; vv. 24. 25. Scal. vv. 18. 19; vv. 26. 27. Scal. vv. 34. 35; vv. 28. 29. Scal. vv. 26. 27; vv. 30. 31. Scal. vv. 5. 6; v. 32 — 34 Scal. v. 48 — 50; vv. 35. 36. Scal. vv. 9. 10; vv. 37. 38. Scal. vv. 7. 8; v. 39 Scal. v. 16; v. 40 Scal. v. 47; vv. 41. 42 Scal. vv. 38. 39; v. 43 Scal. v. 37; v. 44—50 Scal. v. 40—46, v. 51—55 Scal. v. 51—55. Jam scribit Scaliger v. 18 „postque Paterae", Tollius „Pateram"; v. 30 „contuleras te", Tollius „conlatus eras"; Scal. v. 31 „inde" Toll. „ille", Scal. v. 36 „auxti" Toll. „auxit", Scal. vv. 45. 46. „utriusque sine herede suo"; Tollius nihil morans quantitatem syllabae primae vocis „herede" „utriusque domus sine herede tuo". v. 17 Scal. supplet „post fata patris", quem versum in versibus numerandis respexi, Toll. „post Nazarium". Hi monometri tantum abest ut meris efficiantur anapaestis, ut spondei et dactyli praeponderent. Atque illos quidem ex textu Scaligeriano in primo pede habes vv. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 12. 13. 15. 17. 22. 25. 28. 33. 39. 41. 44. 46. 49. 51; in altero vv. 11. 16. 18. 21. 23. 26. 27. 29. 31. 32. 34. 37. 47. 48. 52. 53; in utroque vv. 5. 20. Nec minus frequens dactylus est: in prima sede vv. 9. 10. 14. 16. 18. 19. 21. 23. 24. 26. 27. 29. 30. 31. 32. 34. 36. 37. 38. 40. 42. 47. 48. 52. 53. 55. Anapaestus ipse satis paucis locis usurpatur: in primo pede vv. 4. 10. 43. 45. 50, in altero vv. 3. 4. 6. 12. 13. 15. 33. 44. 46. 49. 51, in utroque vv. 4. 35. 54, dactylo adjunctus v. 42, quod durissimum est, quare „nobile socri", non „soceri" legendum esse puto. Pro spondeo et anapaesto interdum trochaeum et tribrachyem in fine poni vix commemorare opus est.

Quo autem minor in iis quae tractavi metris anapaestis numerus anapaestorum est, eo major par. 17 carmine dim. catal. condito. Praemittitur unus trim. iamb. acatal. „nec Herculanum genitum germana mea Modulamine naenia tristi“ sq. Si lectiones Scaligeri probaverimus, dactylis hic prorsus abstinuit Ausonius; spondei extant: in primo pede vv. 5. 6. 9. 10. 13. (Scal. „mente“ spondaice, Gronovius „mentem“ scribi vult), 15. 18: in altero vv. 8. 16, in primo et altero vv. 7. 11. 12, nusquam in tertio. Attamen diaeresis post alteram sedem legitima semel tantum observatur v. 18, magis frequentatur post primam brevitatem tertii pedis vv. 3 (Scal. „relinquas“ Toll. „relinquat“) 6. 7. 8. 12. accedit elisio, 16. Maxime post alteram brevitatem alterius sedis vv. 2. 4. 5. 9. 10. 13. 14. 15. 17, si alter pes spondeus est, post primam longam syllabam v. 11. Semel post primam brevitatem alterius sedis inciditur v. 19.

Postremo ad genus anapaestum spectant dimetri par. 27. Afferam versus, quales exhibet Scal.: „et amita Veneria properiter obiit, Cui brevia mela modifica recino; Cinis ubi placidula supera vigeat, Loca tacita celeripes adeat Erebi.“ Toll. quartum versum contra numeros sic legit: „celeripes et adeat loca tacita Erebi.“ Summa licentia poeta arses dissolvit ultimis pedibus exceptis, ita ut proceleusmatici evadant. Et primus quidem versus recte incedit. v. 2 „cui“ sive bisyllabum sive monosyllabum habetur, ita ut in primo pede dactylus pro anapaesto collocetur, una syllaba deest: quare Luc. Mueller p. 107 „melea“ recte scripsit. Item v. 3, in cujus fine, quod apud Toll. v. 4 legitur „et“ addendum est; haec autem particula „vigeat“ proxime praecedente facile excidere potuit. Quamquam in termino versus eam aliquid duri habere libenter largior. Praeterea, ut metro

satisfiat, praeter normam „uti“ finali correpta legi oportet aut „ut“ corrigi, ut anapaestus in primo pede sit. v. 4 syllaba „es“ verbi „celeripes“ breviatur, item bipes, tripes idyll. 11, 39, lentipes epist. 21, 40. Proximum est ut ea metra exponam, quae ad γένος διπλάσιον referuntur et trochaica et iambica.

Ex trochaicis numeris apud Ausonium tetram. catal. continui occurrunt prof. 11, sept. sap. sept. vers. Solon, idyll. 7 praef., eclog. de rat. a solst. in aequin. Qui etiamsi non ubique ad normam exacti sunt, tamen tantas licentias omnino non prae se ferunt, quantas sibi vindicarunt Plautus et Terentius, a quibus metrum illud valde adamari constat. Nam cum ii spondeum anapaestum, dactylum saepissime imparibus locis admiserint, noster poeta hisce tantum locis a more descivit: sept. sap. sept. vers. Sol. 1. 2. 3 in tertio („dico primi pedis trochaeus est) eclog. de rat. a solst. in aequin. 2 in primo et quinto, v. 3. 4 in quinto, v. 5 in tertio pede spondei (nescio an hic verbi „octoginta“ ultima corripiatur, ut in „nonaginta“ de rat. dier. ann. vert. 1. 16), prof. 11, 1 in quinto anapaestus, vv. 4. 7 in quinto, v. 5 in primo, idyll. 7 praef. 1 in primo dactyli reperiuntur. Septimus autem pes semper mero trochaeo efficitur. A diaeresi vero legitima, quae est post quartam sedem, semel discessit poeta prof. 11, 7, ubi post arsim quartae inciditur, nisi praepositionem „inter“ secari mavis. In omnibus rebus legibus metricis satisfit in epigr. 51, quo tetrametros troch. catal. trimetri iamb. acatal. sequuntur.

Venio nunc ad iambicum genus, ex quo dimetros et trimetros acatal. potissimum eosque non solum κατὰ στίχον sed etiam alternos usurpavit Ausonius. Et κατὰ στίχον trim.: epigr. 48. 140. 142. 143. prof. 15. ep. her. 29. lud. sept. sap.,

sept. vers. Pittacus, epist. 7, 20—23 epist. 21; dim.: epigr. 30. 96. 146. ephem. parecb. egress. epist. 4, 69—79 epist. 16. Trim. et dim. alterni: epigr. 17. 25. 26. 50. 68. par. 13. prof. 2. 4. 5. prof. poeta epist. 15. 22. De metro in epist. 3. 10 vide infra.

Vulgaris caesura semiquinaria apud nostrum quoque saepe invénitur, rarius semiseptenaria. Adde quod epist. 3 execpta, ubi semper caesuram semiquinariam reperies, si a v. 18 tantum discesseris, diaeresis frequentior est in dimetris post primam dipodiam interdum elisione accedente: epigr. 30, 1. 6. 146, 6. 17. 18. 20. 23. 29. 31. 32. ephem. parecb. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 14. 16. 21, egress. 1. 2. prof. 2, 20. 28. 4, 4. 5, 24 prof. poeta 8 epist. 10, 8. 12. 26. 34. 15, 22. 26. 16, 4. 8. 13. 31. 35. 37. 39. 41. 51. 58. 70. 74. 78. 95. 97. 104. 22, 2. 16. In trim. epigr. 26, 5. Dividitur in tres pares partes sept. sap. Thal. 1, qualem praebet Toll. „Milesius Thales sum, aquam qui principem“. Praeterea elisio ante distinctionem durior est. Recte Scal. optimo exemplari duce „Milesius sum Thales.“ Quod ultima hujus vocis breviatur ab Ausonio, nobis admirationem facere nequit. Jam satis invenuste decurrit sept. sap. prol. v. 6 a Scal. ita editus „nobis pudendum est hoc? et Atticis quoque“. Vineto auctore versus mancus est in codice „nobis pudendum hoc et Atticis quoque“. Amplectenda est alia lectio optimo sensu „nobis pudendum hoc, non et Atticis quoque“.

Peccavit autem in leges metricas noster spondeos, anapaestos, dactylos in paribus sedibus collocans. Spondeum reperies in altero pede ephem. parecb. 10. prof. 15, 13 sept. sap. Sol. 7. 11. 26. 31. 48 (ex recens. Scal.) 58. Chil. 4. Cleob. 10. Thal. 13. Periand. 17. sept. vers. Pitt. 1; in quarto

epigr. 68, 1 sept. sap. prol. 5. 9. 23. 24. 26. 31. 33. Lud. 6. 10. Sol. 4. 11. 24. 25. 28. 29. 30. 34. 55. 56. 59. Chil. 2. 16. Cleob. 3. 4. Thal. 2. 4. 27. Bias 4. 11. Pitt. 2. 4. 10. Periand. 2. 11. 13. 15. Spondei quattuor deinceps sept. sap. Sol. 35 „profectus, victus, vinctus, regi deditus". In eod. carm. 33 vulgo „dictum moleste Croesus accepit, at ego Relinquo". Satis dura sane versus clausula. Adde quod perfecto „accepit" praesentia „relinquo, parat" subjiciuntur. Scal. emendavit „accipit, exeo"; verum hac conjectura notio abeundi bis exprimitur, quare „accipit, illico" proposuerim. Sed ut ad id unde digressus sum revertar, anapaestus extat, et ita interdum ut syllabis non ejusdem vocis efficiatur, in altero pede prof. poet. 3. sept. sap. prol. 1. Sol. 2. Chil. 2. Thal. 12. Pitt. 1. Periand. 9, in quarto prof. 15, 4 at hic nomine proprio licentia excusatur, sept. sap. prol. 8. Sol. 8 cod. contra metrum „nominum seriem, nomen insertum". Scal. et Vin. „nomina eorum" a Toll. acceptum; Cleob. 5. Thal. 6. 14. Periand. 1, hic quoque nomen est proprium. Dactylum vides in altero pede sept. sap. Sol. 10. Thal. 26, in quarto prol. 1. 14. 32. Lud. 12. Sol. 7. Thal. 9. 25. Periand. 8. 10.

Circuitum trimetri iamb. excessit sept. sap. Chil. 3 „hui quam pauca quam diu loquuntur Attici". Quare „hui" separandum est: item extra numeros φεῦ apud Graecorum poetas tragicos cf. Soph. Phil. 1001. Ant. 323. 1028. Electr. 1003 (ed. Wunder).

Porro spectat ad γένος διπλάσιον qui ad iamb. trim. acatal. proxime accedit choliambus semel adhibitus epigr. 128 „Eunus Syriscus inguinum liguritor" sq. Non ubique evitavit poeta dissolutiones, sed in prima sede potissimum. Haec enim vv. 2. 4. 6 anapaesto efficitur, altera v. 5 tribrachys est, item primus pes v. 3; in quinto Catulli exemplum secutus

merum tantum iambum admisit. Incisionem quam in aliis metris iambicis Ausonius plerumque etiam hic usurpavit semiquinariam v. 5 excepto, quo diaeresis post primam dipodiam et alteram invenitur.

Alia forma est tetrameter choriamb. catal., cujus ultima sedes apud nostrum poetam imaginem dipodiae iamb. catal. praebet ⏑́ – ⏓. Ceteras sedes puras servavit, non commutavit choriambos ut alii dipodia iamb. acatal., ex qua numeri illi anaclasi orti sunt ⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –. Inciditur semper post alterum pedem. Bis autem reperitur metrum: sept. sap. sept. vers. Chil. „nolo minor me timeat despiciatque major“ sq. v. 2 exhibet Pulmanni codex numeros non mutans „item vive memor salutis“, vulgo „uti sis memor et salutis“, Erasmus contra metrum „ut sies memor“ vel „ne sis immemor“. Jam idyll. 7 de eadem Bissula „delicium, blanditiae, ludus, amor, voluptas“ sq.

Sequitur nunc, qui tertius locus est, compositorum metrorum expositio.

Ac primum quidem ad dactylo-trochaica metra quae vocantur pertinent Pythiambicum minus (idem quod apud Horatium epod. 14. 15), in quo hexametro dimeter iamb. acatal. subjicitur epist. 3 „qualis Picenae populator turdus olivae Clunes opimat cereas“ sq. et epist. 10 „si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis. Nec plasma semper allinunt“ sq., et Pythiambicum majus hexametro et trimetro iamb. catal. constans (apud Venusinum epod. 26), quo prof. 19, 1—6 decurrunt „relligio est, tacitum si te Sedate relinquam, Quamvis docendi munus indepte es foris“ sq. De singulis jam disputatum est.

Alterum genus logaoedicos versus complectitur, ex quo numero his metris usus est Ausonius: Asclepiadeo, Phalaeceo sive hendecasyllabis, Sapphico.

In Asclepiadeo metro, quo scripta sunt epist. 7, 36 sq. „junctus limicolis musculus ostreis“ et sept. sap. sept. vers. Cleob. „quanto plus liceat, tam libeat minus“, versus Asclepiadeus minor usque iteratur. Ut Horatius, si excipis carm. II. 12, 25. III. 24, 58. IV. 8, 17, poeta noster et spondeum in initio et in medio versu caesuram ubique posuit.

Jam vero κατὰ στίχον apud Ausonium etiam Phalaeceum incedit metrum, quo condidit praef. ad Lat. Pacat. Drepanium filium, sept. sap. sept. vers. Periand. epist. 4, 80—102, epist. 7, 24—35. Primus pes spondeo effici solet, iambo semel epist. 4, 102 velut apud Catull. 1, 4. 2, 4. 3, 16. 7, 2 alibi; alter dactylo tantum. Tres postremas sedes ad normam ita exegit, ut aut tribus meris trochaeis constent aut dipodia trochaica, quam excipit spondeus. At a tertio pede et quarto hic alienus est; nam quod leguntur sept. sap. sept. vers. Periand. 5. 6. 7 „caveto“ et epist. 7, 32. 33 „octo“, poeta quippe multas sibi vindicans licentias vocalem finalem o corripuit. Pyrrhichius in quarta sede extat epist. 4 versu 99, qualem praebent membran. Lugdun. „tortam (vel tostam) trado tibi simul et agnam“. Scal. „tortam — simulque et agnam“ correxit, Toll. cum aliis „totam — simul Vacunam“. Incisio autem duplex occurrit: post dactylum diaeresis praef. ad Drepan. 8. 9. 10. 16 sept. sap. sept. vers. Periand. 1. epist. 4, 81 medio in vocabulo „hendecasyllabos“, vv. 90. 92, ubi vulgo legitur „sed jam non potes, o stolo, doceri“. Toll. in annotationibus nulla causa emendavit „potis es“; in textum autem fortasse typographico errore „poteris“ irrepsit. Idem eodem versu non „stolo“, sed „Theon“, quod nomen se repperisse Scal. dicit. Tum vv. 93. 98. 102. epist. 7, 24. 26. 27. 29. 30. 34. Reliquis locis caesura post arsim tertii pedis extat, bis post thesim hujus sedis epist. 4, 91. 95. Ac

ne hiatus quidem negligendus est epist. 7, 27 „septenis quater adde unam et unam", v. 30 „octonas", non „octonis". Hiatum sublatura editio Bipontina habet „addito", quae lectio valde placeret, nisi et praegrederetur et subjiceretur idem imperativus vv. 26. 29. 32, praeterea „duc" v. 28 „junge" v. 33.

In Sapphico denique metro, quod in ephem. exordio „mane jam clarum reserat fenestras" sq.; prof. 7 „qui colis laetos hilaresque mores" sq.; prof. 8 „Romulum post hos prius an Corinthi" sq. invenies, Horatium sibi imitandum proponens Ausonius nusquam in altero pede trochaeum, quem Catullus interdum, sed ubique spondeum collocavit. Vocabulorum enim „quia" prof. 8, 7 et „tertius" v. 9 syllabas finales a poeta productas putandas esse, praesertim cum in arsim cadant mihi persuasum est. Caesura post dactyli arsim observatur, nisi quod semel post ejus primam brevitatem inciditur ephem. exord. 23; apud Horatium tamen hoc saepissime: carm. I, 10, 1. 6. 18. 12, 1. 25, 11. 30, 1. II, 6. 11., inprimis in carminibus postea conditis IV, 2, 13. 17. 33. 34. 38. 41. 49. 50. 6, 10. 27. 33. 34. 11, 23. 29. 30. 34. carm. saecul. 1. 14. 15. 18. 19. 35. 39. 51. 53. 54. 55. 58. 61. 62. 70. 73. 74. Nec vero elisionem in fine versus non evitavit noster poeta, apud Venusinum non infrequentem carm. II, 2, 18. 16, 34. IV, 2, 22. 23. carm. saecul. 47. Quod denique quibusdam locis Horatianis fit, ut divisa voce tertius versus Sapphicus minor cum Adonio conjungatur carm. I, 2, 19. 25, 11. II, 16, 7, id quoque respuit.

Restat, id quod postremum mihi proposueram, ut ea carmina proferam, quorum quodque diversis metris decurrit. Sunt autem haec: ad γένος ἴσον spectant epigr. 41 duobus hexametris, quos spurios declaravit esse Scal. et uno disticho elegiaco constans et prof. 21, quod carmen ex systematis

binorum anapaestorum dim. acatal. singulorumque monom. acatal. et duobus distichis elegiacis compositum est. Ad γένος ἴσον et διπλάσιον epist. 6, cujus v. 1 hexametro, v. 2—5 distichis elegiacis, vv. 6. 7 trimetris iamb. acatal. efficiuntur. Ad dactylo-trochaica metra et γένος ἴσον pertinet prof. carm. 19, cujus sex priores versus hexametris et trimetris iamb. acatal. se excipientibus, octo posteriores distichis elegiacis incedunt. Ad γένος ἴσον et διπλάσιον et versus logaoedicos referendae sunt epist. 4. a v. 1—68 hexametris, a v. 69—79 dimetris iamb. acatal., a v. 80 usque ad finem hendecasyllabis scripta, et epist. 7, in qua inde ab initio usque ad v. 18 hexametros, a v. 19—23 trimetros iamb. acatal., a v. 24—35 hendecasyllabos, a v. 36 usque ad finem Asclepiadeos minores usurpavit poeta.

Qua in varietate metrorum Ennii, quem ab eo minime ignorari nonnulli loci docent techn. grammaticom. 3. 17. 18, saturarum externa species haud scio an illi ante oculos versata sit.

Haec habui de re metrica Ausonii quae dicerem.